



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. VIII. An Regulares Exempti ad ea, in quibus sunjiciuntur Ordinarijs
locorum, possint compelli censuris?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

constitutionem anni 1576. ut rectè notat Sanchez l. 6. *Consl. mor. c. 9. d. 2. n. 12.*

2465.

Dices: Concilio generali non derogatur, nisi facta ejus mentione; sed Gregorius, *in cit. constitutione*, nullam facit mentionem Concilii Tridentini; ergo per eam Concilii decreto nihil derogatum est; *R.* 1. majorem valde probabiliter negari, ut constat ex dictis alibi. *Resp.* 2. N. min. Nam ex proœmio dictæ constitutionis satis colligitur contrarium; dicit enim ibi: *quidam, forsitan moti auctoritate Tridentini &c. & statim ex certa scientia subjungit privilegij concessionem, ut notat Sanchez cit. n. 12. & fufius Henriquez de indulgent. c. 26. à n. 3. Quæ verò tum in n. 2458. tum alibi, dicuntur de Novitiis, ea non habent indefinitè locum in Novitijs Societatis, ut liquet ex cap. 16. sess. 25. de Regularib. ibi: per hæc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum institutum, à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesie inservire possit.*

¶ VIII.

An Regulares Exempti ad ea, in quibus subjiciuntur Ordinarijs locorum, possint compelli censuris?

2466.

Resp. non posse, nisi expressè in aliquo decreto, exemptos subjiciente Episcopo, caveatur, ut contra illos possit per censuras procedere; ita Thom. Sanchez l. 6. *Summa c. 1. à n. 14. & l. 7. matr. D. 33. n. 22.* Nam vi decretorum Tridentini non possunt contra Exemptos plus, quàm ibi exprimat in delegatione. Neque dicas: juxta *gloss. in cit. c. grave, v. literarum*, dicitur, quòd Judex, de quo in illo c. agitur, non potuit procedere contra exemptos, quia procedebat *ut Ordinarius, non ut delegatus*; ergo clarè indicat; secus esse, si procedat ut delegatus. *R.* ut quæstio *loc. cit.* proposita resolveretur, quòd non debite processerit ille Ordinarius, satis fuisse, quòd ostenderetur, cum processisse ex potestate, quæ non extenditur ad tales personas, nempe ex potestate *Ordinaria*, contra *Exemptos*; hinc dist. *conseq.* ergo clarè indicat, secus esse, nimirum rectè procedere etiam contra ex-

emptos, si procedat ut delegatus secundum formam, qua exempti, pro tali casu ei subjiciuntur, C. secus N. *conseq.*

Præterea quæres 1. an Ordinarij locorum, tanquam Judices Papæ, delegati ad corrigendum Clericos, possint procedere contra Regulares Exemptos non facta mentione *de exemptis*? *R.* negativè; sic Felinus in *c. grave, de Offic. Ordin. n. 3. Navarr. l. 3. Consl. de Regular. Consl. 21. n. 4.* Nam in odiosis appellatione *simplicis* non venit *simplex qualificatum*, ex *c. statutum, de elect. in 6.* ubi Bonifacius VIII. statutum, ait, felicis recordationis Gregorij X. Papæ Prædecessoris nostri de iis, qui ad parœcialium Ecclesiarum regimen assumuntur, promovendis ad Sacerdotium intra annum, alioquin eisdem Ecclesijs privandis quod (*cum sit pœnale*) restringi potius convenit, quàm laxari: declaramus ad Collegiatas Ecclesias, etiamsi alias parœciales extiterint, & assumptos ad earum regimen, non extendi: sed antiqua jura servari debere potius in eisdem: sed ea dispositio, delegans correctionem criminum, odiosa est, & loquitur solùm *de Clericis*, sine qualitate, adeoque simplicibus; ergo non venit intelligenda *de Clericis affectis qualitate, exemptionis*, præsertim, qui privilegio exempti sunt etiam à *Judicibus delegatis*, ut habet nostra Societas in Bulla Gregorij XIII. anni 1584. incipiente: *Ascendente &c.*

2467.

¶ IX.

An Regulares Exempti teneantur locorum Ordinarijs exhibere privilegium exemptionis?

Resp. 1. communem esse Doctorum, quòd teneantur exhibere, quando exemptio *non est notoria*; quia Exemptos teneri exhibere Ordinarijs intra terminum ab ipsis præscriptum privilegia exemptionis, habetur *c. cum persone, de Privil. in 6. junct. gloss. v. tradere*; cujus ratio est, quia secus præsumitur pro eorum subjectione; cum Episcopus intentionem suam, in materia subjectionis, respectu omnium, qui sunt in ejus diœcesi, fundatam habeat in jure communi, nisi *probent se exemptos*, qui se tales dicunt, ut constat ex dictis superius: Dixi, quando exem-

2468.